



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

8. An Cœmeteria, Hospitalia, Monastaria, & Grangiae Religiosorum
secundum illud, quod septum est, gaudeant Ecclesiarum Immunitate;
quamuis Cœmeteria sint polluta, vel interdicta, atque ab Ecclesia ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

De Immunit. Eccles. Resol. VIII. 9

clis. Et idem in vna Veneta Censurarum anno 1607. omnes Sacra Rotæ Auditores in *Affertione Ecclesiastica libertatis*, cap. ultimo, fol. 196. 197. & 198. statuerunt rem Ecclesiæ, concessam Laicis ad Emphyteusum remanere Ecclesiasticam ratione illius inseparabilis connexitatis dominij vtilis & directi. imò Berous in cap. qua in Ecclesiarum, de constitur. num 13. docet maiorem connexionem esse inter directum & vtile dominium, quam inter possessionem & proprietatem: quia possessio penes aliquem sine proprietate consistere potest, & vice versa, vt patet ex l. ff. vii possidetis, & maxime cum possessio & proprietates nihil inter se commune habeant, ex l. maiorat. §. nihil commune, ff. de acquir. possess. at dominium vtile non potest à dominio directo separari.

16. Vnde ex hoc principio eadem Sacra Rota die 28. Maij 1631. coram Domino meo Merlino, ratione connexitatis dominij vtilis cum directo statuit cum multis Doctoribus bona Ecclesiæ cõcessa Laicis ad Emphyteusum gaudere privilegio fori, nec posse collectari: ergo & in casu nostro domus Ecclesiæ concessa ad Emphyteusum debent etiam gaudere privilegio immunitatis ipsius Ecclesiæ, cum eis non obstat Ecclesiam habere tantum dominium directum, & non vtile; quia, vt dictum est ex Sacra Rota, dicta domus licet ad Emphyteusum Laicis concessa, dici potest, & est verè domus Ecclesiæ; cuius quidem dominium vtile, licet quantum ad vsum & administrationem pertineat ad Emphyteutam, quantum verò ad naturam & essentiam est Ecclesiæ, & ab ea recognoscitur. Ita ex Campezio firmat Sacra Rota in citata assertione Ecclesiastica libertatis. Ergo, &c.

* Quæ hic est infra Resol. 21.

17. Adde quod omnes rationes, quas ego supra in part. 3. tract. 1. §. 1. adduxi ad probandum, quòd domus Ecclesiæ sita intra eius confines, etiam si sit locata laicis, gaudeat immunitate, procedunt etiam si dicta domus sit concessa ad Emphyteusum: locatio enim ad Emphyteusum non differt nisi solo tempore, vt obseruat Layman lib. 3. tract. 4. cap. 22. n. 1. & Doctores communiter: & in vtroque contractu dominium vtile stat penes conductorem & Emphyteutam: ergo vt domus locata Laicis in probabiliori & communiori sententia gaudet immunitate, ita etiam eadem immunitate Ecclesiæ gaudere debet, si fuerit concessa in Emphyteusum. Et hæc viris doctis maturanda relinquo, nolo enim esse huius sententiæ primus Auctor.

RESOL. VIII.

An Cœmeteria, Hospitalia, Monasteria, & Grangia Religiosorum secundum illud, quod septimum est, gaudeant Ecclesiarum immunitate, quamvis cœmeteria sint polluta, vel interdicta, atque ab Ecclesia separata, & quid de eius ostio, & porticu?

Et an delinquens, si capiatur per aliquam partem, vel per pedem extra locum sacrum existentem, alium vero pedem, & caput in Ecclesia habens gaudeat Immunitate?

Et quid de illo, qui manibus apprehendit ferrum, vel valuum Ecclesiæ? Ex part. 6. tract. 1. Resol. 6.

§. 1. Sic respondet Sarpus cap. 4. fol. 42. De cœmeteriis verò, Hospitalibus, & Conclauibus, vbi fratres dormiunt, nec verbum quidem lex vlla fecit. Canonistæ tantummodo, quos ignorantia sæpè, aut ambitio transuersos rapit, Ecclesiarum nomen amplificare, atque ad hæc etiam protrahere voluerunt, plurimis tamen conditionibus, iisdemque adeò variis, ac inter se repugnantibus, vt. vix

duo conueniant. Ex eorum autem sententiis consuetudo diuersa inducta est, prout si plus minusve auctoritatis habuerunt, & huiusmodi locorum, aut etiam delictorum numerus exigere videbatur. Quòd fit; vt sicuti de iis locis nihil omnino legibus sancitum est, sed consuetudine tantum, atque interpretatione eorum immunitas introducta est: ita vbi est contraria consuetudo, eadem à quocunque iudice seruari debeat citra vllam errandi formam. Hæc Sarpus parum modestè, & falsè procaciter.

2. Et incipiendo quoad cœmeteria; assero contra Sarpum adesse textum expressum de eorum immunitate in cap. final. de immunitate Eccles. vt patet ex illis verbis, vel earum cœmeteriis. Et ibi adnotarunt Ancharanus, Ioannes Andreas, Turrecremata, Archidiaconus, Imola (vide Lector, quos homines ambitiosos vocauerit Sarpus) penes Farinacium de immunit. cap. 17. num. 262. Quibus ex Theologis adde Armillam verb. Cœmeterium, numer. 1. Villalobos in summ. tom. 2. tract. 39. difficult. 5. num. 5. Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 7. numer. 2. Castrum Palaum tom. 2. tract. 11. disput. vñica, punct. 6. num. 16. Suarez de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 9. n. 8. Azorium part. 2. lib. 9. cap. 8. quæst. 6. Perficum de offic. Sacerd. lib. 1. cap. 9. dub. 11. num. 97. Fagundez part. 1. lib. 4. cap. 4. numer. 6. Diuum Antoninum in summ. p. 3. tit. 12. in princip. ver. Et cœmeteria earum, cum aliis. Ex Iustis Valacum tom. 1. consil. 81. numer. 1. Bobadillam in Polit. tom. 1. lib. 2. cap. 14. num. 80. Decianum lib. 4. cap. 24. numer. 21. Mantiam consil. 60. numer. 8. Ambrosijum de immunitate, cap. 10. num. 5. Italiam lib. 1. cap. 4. §. 7. per totum. Tuschum ver. Ecclesia conclus. 10. numer. 3. Germonium de Sac. immunit. lib. 3. cap. 16. nu. 30. Peregrinum cap. 4. n. 58. Ludoticum Correa in Relect. immunit. part. 2. n. 12. & alios penes ipsos.

3. Et hæc opinio procedit non solum quoad cœmeterium contiguum & coniunctum cum Ecclesia; sed etiam quoad separatum, vt contra Decianum lib. 6. c. 24. numer. 20. & 30. docuerunt Germonius, Italia; Nauarrus, & Villagut apud Farinacium numer. 264. quibus adde Castrum Palaum tom. 2. tract. 11. disput. vñica, punct. 6. num. 16. & Bertachinum in Repertorio; verb. Cœmeterium, n. 2. quia eo ipso quod fidelium sepultura destinatum est, præsumitur benedictum esse, & auctoritate Episcopi sacratum. Et quod dictum est de cœmeterio, dicendum est etiam de eius ostio & porticu; vt inter ceteros obseruat Correa in Relect. de immunit. part. 2. num. 16. & Peregrinus cap. 2. numer. 55. & 56. qui etiam in sequentibus numeris docet cœmeterium benedictum non ab Episcopo; sed à simplici sacerdote, gaudere immunitate Ecclesiæ, & etiam si à nemine benedictum fuerit, si aliquis Christianus mortuus cum Ecclesiasticis officiis cum licentia Episcopi, & voluntate Domini, ibi sepultus sit.

4. Nota etiam, quòd Peregrinus, vbi supra optime addit, cœmeterium pollutum, vel interdictum gaudere etiam immunitate, sicut supra firmatum est de Ecclesia. Et ratio horum omnium erit, quia non solum immunitas cœmeterij fundatur in consuetudine, vt perperam voluit Sarpus; sed de ea adest textus expressus in iure, vt visum est supra. Et licet iura expressa non darent privilegium cœmeteriis, nihilominus tamen quæ de Ecclesiis loquuntur, in cœmeteriis locum haberent, cum Ecclesia & cœmeterium ex eadem causa æquiparentur, & est in consequentia ipsius Ecclesiæ, iuxta ea quæ tradit Palaus de Castro consil. 441. Et idem quoad sacrilegium, interdictum, & pollutionem, Ecclesia & cœmeterium pari passu procedunt, vt docet Tuschus de de visitat. lib. 1. c. 12. n. 7. & 8. cum aliis communiter.

§. Sed

Sup. hoc lege §. not. seq.

Supr. hoc in Ref. §. vlt.

Sup. his sup. in Ref. 6. §. Sed quæro, hic obiter, & infra in Ref. 10.

Supra in Ref. quæ hic supra est Resol. 6. §. Nota secundo.

5. Sed tranſeamus ad immunitatem hoſpitalium. Dico igitur quòd ſi non fuerint priuata, ſed publica & Epifcopi auctoritate erecta, gaudebunt vtiq; Eccleſiarum immunitate, ex cap. ad hac de relig. domib. & cap. definiuit 17. quaſt. 4. & ex leg. omnia priuilegia, Cod. de Epifcop. & Cler. vbi omnia priuilegia Eccleſiis conceſſa, hoſpitalibus concedunt; nam cum ſit Epifcopi auctoritate conſtructum hoſpitale, factus eſt locus religioſus, & ad prophanos vſus conuerti non debet: ergo, &c. Et ita hanc ſententiam ex pluribus docet Farinacius de immunitat. c. 17. num. 265. quibus adde Raphaëlem de la Torre tom. 2. num. 2. quaſt. 99. art. 3. grad. 8. Speſtillum decif. 55. n. 19. Scortiam in Bull. Ponif. Epit. 152. theorem. 285. Sanchez in opuſcul. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 7. num. 2. Ciarlinium Diſceptat. forenſ. cap. 116. num. 7. Caſtrum Palaum tom. 2. tract. 11. diſput. vnic. punct. 6. num. 17. Perlicum de offi. Sacerdot. lib. 1. cap. 9. dub. 11. n. 97. Suarez de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 9. num. 9. Sanchez de Matrim. lib. 9. diſput. 15. num. 17. Megalium in 3. part. lib. 4. conſil. 2. quaſt. 2. num. 37. Fagundez part. 2. lib. 4. cap. 4. num. 60. Villalobos in ſumm. tom. 2. tr. 39. diſcult. 5. num. 2. Layman. lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 3. Peregrinum de immunitat. cap. 4. num. 69. vbi ex Cardinale Tuſcho obſeruat hanc ſententiam procedere, etiamſi in hoſpitali ab Epifcopo conſtructo ſacrificium Miſſæ non celebretur: quod etiam docuit Paulus de Caſtro conſil. 458. lib. 2.

6. Dicendum eſt igitur, quòd licet in Hoſpitali non ſit campanile, altare, neque Eccleſia, ſi ex aliis ſignis comprehendatur eſſe fundatum Epifcopi auctoritate; vt ſi ſit inſtitutum ſub nomine alicuius Sancti, & viſitetur ab Epifcopo gaudebit priuilegio immunitatis. Vide in caſu contingenti Ciarlinium in controu. forenſ. cap. 116. per totum.

7. Et tandem idem dicendum eſt de Monafteriis Religioſorum, ſecundum totum illud quod ſeptum eſt, id eſt, clauſtrum, dormitorium, hortus, domus familiarium, & animalium. & ſimilia: hæc enim pro locis ſacris & Religioſis habentur quoad priuilegium immunitatis, quia Eccleſiæ adherent. Vide cap. ſi quis contumax, cap. frater, cap. ſi quis in arrio, cap. minor. 17. quaſt. 4. cap. 2. conſuetud. & habetur expreſſe in leg. pateant, Cod. de his qui ad Eccl. conſig. in illis verbis. Quidquid fuerit inſtraiacens ſive in cellulis, ſive in domibus, hortulis, balneis, atque porticibus confugas interioris templi iure tueantur. Et ideò hanc ſententiam Doctores, quos citant & ſequuntur Sanch. de Matrim. lib. 9. diſp. 15. num. 42. & Farinacius de immunit. cap. 17. num. 268. quibus adde Bonacinam tom. 2. diſp. 3. quaſt. 7. punct. 4. num. 10. Palaum tom. ſecundo, tract. 1. diſp. vnic. punct. 6. numero 18. Ludouicum Correa in Relect. de immunit. part. 2. num. 2. & ſequens. Raphaëlem de la Torre tom. 2. in 2. Diui Thoma quaſt. 99. art. 3. diſput. 7. grad. 8. & Villalobos in ſumm. tom. 2. tract. 39. diſcult. 5. num. 6. vbi ſic ait. [Gozan d'eſta immunidad todos los Monafterios pues no ſolo eſtan fundados con autoridad del Obiſpo, ſi no tambien del Papa, y entiendeſe quanto à toda la clauſura, huerto, y atrio, y aun las granjas de los Religioſos por vna conceſſion hecha à los Padres de Ciſtel.] Ita ille. Et hoc quod ipſe aſſerit de Grangis, docet etiam Rodriguez in Quaſt. Regul. tom. 2. quaſt. 75. artic. 2. & Peregrinus de immunit. c. 4. num. 58. vbi firmat Grangias Religioſorum gaudere Eccleſiarum immunitate, & Grangia ſunt quædam parua domus Religioſorum, quæ ſunt veluti hoſpitia ipſorum & membra Monafterij quæ ſunt ſub poteſtate & iuriſdictione Prælati Monafterij, cuius ſunt Grangia. Et ideo reſellendus venit Agidius Trullench. in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 11. dub. 1. num. 6.

Sup. his
Grangis in
tom. 4. tract.
2. Ref. 18 §.
Verum ad
medium, &
in Ref. 62.
§. Vlt. & ad
fulciendam
hanc do-
ctinam le-
ge hic infra
Vlt. Ref.
922.

Vbi docet Grangias Religioſorum non gaudere immunitate; & amiciffimus Barboſa de iur. Eccleſ. lib. 2. cap. 3. num. 73. aſſerens priuilegium immunitatis non extendi ad cellulas, domos, hortulos, balneas, ac ſepta Eccleſiæ, & Monafterij.

8. Vnde ex his omnibus valde miror, qua fronte Sarpus auſus ſit dicere immunitatem Cæmeteriorum, Hoſpitalium, & Monafteriorum non eſſe in iure fundatam; ſed ex arbitrio Canonistarum variam, vt vix duo quoad ipſius conditiones conueniant: cum viſum ſit ſacros Canones de talium immunitate aperte loqui, & non ſolum omnes Canonistas, ſed etiam Legiſtas & Theologos quoad illam ſtabiliendam vnanimiter conuenire. Et ideò Georgius Ritthershuſius de iure Aſſorum, c. 12. ſtomachatur in Sarpum aſſerentem leges nihil diſpoſuiſſe de immunitate Cæmeteriorum, Hoſpitalium, &c.

9. Sed pro complemento huius materiæ, non definam vnum hic adnotare: nempe delinquentem gaudere immunitate, ſi capiatur per aliquam pallij partem quæ prominet extra reſectum, aut valuas, aut extra alium locum immuncem ex ſuperius dictis. Et ideò Villalobos in ſumma tom. 2. tract. 39. diſcult. 5. num. 4. Sic ait. [Lo miſmo es, quando el delincente eſta dentro de la Ygleſia, y lo prenderon por la topa, que eſtaua eſtendida azia fuera, que tan poco lo pueden ſacar.] Ita ille. Vbi citat Couarruuiam, & Paz, & Bobadillam. Imò ego conſului in facti contingencia incidiſſe in excommunicationem ſatellites qui extraxerunt reum per pedem extra locum ſacrum exiſtentem; alium verò pedem & caput in Eccleſia iam habentem: & tunc in mei fauorem adduxi Peregrinum cap. 4. n. 61. Suarez de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 12. num. 4. & Bonacinam tom. 2. diſput. 3. quaſt. 7. punct. 4. num. 20. qui tamen ſecus aſſerit dicendum de illo, qui amobus pedibus in via publica exiſtebat, & humeris ſolum attingebat parietes Eccleſiæ, non autem ſi manibus apprehenderat ferrum, ſeu valnam Eccleſiæ, vt ſuprà dictum eſt. Sed ego contrarium conſului in alio caſu, dum quidam reus fugiens à manibus ſatellitum cecidit ſuper liminare portæ Eccleſiæ, & cum humeris & capite eam tangeret, licet tibias & pedes extra haberet, fuit per illos extractus extra Eccleſiam: tunc inquam conſului talem reum fuiſſe reſtituendum: nam præcipuum corporis partem, vt caput & humeros habebat in loco ſacro, quando fuit captus, ergo eius immunitate gaudere debebat, & poſt hæc ſcripta inueni noſtram ſententiam docere Trullench. in Decalog. 10. 1. lib. 1. cap. 11. dub. 1. n. 12. Sed cum actum ſit de locis, quæ præſtare poſſunt immunitatem, tranſeamus ad ea, quæ Sarpus docet de reſis in dictis locis immunitate gaudentibus.

Suprà in
Ref. quæ hic
eſt infra
Ref. 10. §. 2.
& 3. & in
Ref. 11. & in
alio §. eius
primæ nor.

RESOL. IX.

An campanile Eccleſiæ, etiam ſi ſit ab ea diſunctum, gaudet eius Immunitate?

Et an cæmeterium diſunctum ab Eccleſia gaudet eius Immunitate?

Et docetur Oratoria priuata domorum non gaudere Immunitate. Ex part. 4. tract. 1. Refol. 108.

§. 1. **A**ffirmatiuè reſpondet nouiſſimè Antonius Nouarius in ſumma Bullarum, iur. de immunit. Eccleſ. num. 26. vbi ſic ait. Sed quid dicendum de campanili Eccleſiæ? Prima facie dicerem quòd ſi eſſet adiunctum Eccleſiæ, nec pateretur diuiſionem, gaudere eius immunitate. Imò quamuis eſſet diuiſum ab Eccleſia, adhuc cenſerem gaudere debere immunitate,